



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio XLVII. De Potentia Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

suz habent, mediam partem damnari: quod, & merito, valde rigorosum esse affirmat Suarez.

V. Ex Orthodoxis plures salvantur, quam damnantur.

Res hæc dubia est, nec certò definiti quidquam potest: existimo tamen cum Suarez lib. 6. de Prædest. cap. 3. num. 6. quamvis, si per fideles intelligantur illi omnes, qui Christiani nomine gloriantur, inter quos includuntur hæretici, schismatici, & apostata, plures ex fidelibus damnentur, quam salventur: si quis tamen per fideles, solos intelligat orthodoxos, quiq; veram fidem Christi profitentur, mihi multò probabilius est, ex iis plures consequi salutem, quam amittere: esto enim (quæ humanæ naturæ conditio est) in peccata subinde prolabantur, sacramentorum tamen, quæ identidem recipiant, beneficio, gratiam denuo recuperant, & hoc modo ad beatitudinem perveniunt.

VI. Tertia vel quarta pars hominum vitam finit in infantia.

Deinde, ut ait P. Cornelius à Lapide in cap. 21. Apocalyp. v. 16. tertia vel quarta pars hominum vitam finit in infantia, & in innocentia baptismali: plurimi decedunt pueri: imò plus, inquit, quam media pars hominum ex hac vitâ rapiuntur ante

annum vigesimum, & priùs, quam astu vitiorum occupentur.

Ad numerum etiam eorum, qui inter fideles salvantur, facit id quod in tabulis Ecclesiasticis refertur, sub uno scilicet Diocletiano, cujus persecutio per decennium duravit, interfecta singulis mensibus fuisse 17. millia Martyrum. Insuper, in libro tertio revelationum S. Brigittæ habetur, per dies singulos toto anni decursu, septem Martyrum millium festa celebrari posse. Si verò Martyribus jungantur Confessores, in eodem libro sic habetur: Si mensurares terram centum pedum in longitudine, & totidem in latitudine, ut seminas eam plenam puris granis tritici, quodlibet verò granum daret fructum centuplum, adhuc essent plures Martyres & Confessores Romæ à S. Petri tempore, usque ad Cælestinum: hæc ibi. Quot verò hic numerus conficiat, præferim si pro reliquo orbe Catholico, tot proportionem servatâ assignentur pedes terræ, tot grana, & granorum multiplicatio, computum relinquo Arithmeticis. Hæc de profundissimo Prædestinationis mysterio sufficiant.

VII. Numerus Martyrum & Confessorum in Catholicâ Ecclesiâ.

DISPUTATIO XLVII.

De Potentiâ Dei.

NOBIS necessarium non erit susam hac de re disputationem instituire, cum omnia fere, quæ à plerisque hic tractari video, alibi discussim, ut de naturâ infiniti, in physicis Disp. 46. darine possit creatura perfectissima diximus ibidem, sect. 7. & 8. Vtrum verò Deus semper faciat optimum, latè dictum est supra Disp. 32. Hic ergo ea tantum tractabo, quæ alibi non sunt discussa. Dari verò in Deo potentiam certius est, quam ut dubitare de eâ quisquam possit, cum & perfectio sit, summum Numen decens, & Deus in sacris Literis toties vocetur Omnipotens.

SECTIO PRIMA.

Quid, & qualis sit Dei potentia.

I. Non est sermo de virtute Dei ad agendum ad intra, sed ad extra.

NON est hic sermo de Potentiâ Dei ad intra, seu virtute quâ Pater generat Filium, & Pater simul cum Filio producit Spiritum Sanctum. Hic ergo de Virtute Dei loquimur, prout comparatur ad creaturas, hanc verò, ut in Deo dari, tanquam certissimum posuimus, ita ulterius, quo pacto in eo inveniat, non exigua est difficultas. Sermo autem est de potentiâ activa; potentia enim passiva, Dei simplicitati repugnat, ut supra ostensum est Disp. 4. sect. 6. & Disp. quintâ.

II. Variâ variâ de distinctione potentia à reliquis Dei prædicamentis loquitur.

Præcipua hic controversia est, quomodo potentia in Deo distinguatur à reliquis ejus prædicatis. P. Suarez tom. 2. Metaph. Disp. 30. sect. 17. num. 47. secutus Aureolum in 1. dist. 42. art. 2. vult Dei potentiam ab ejus essentiâ non distingui. Scotus in 1. dist. 37. quæst. 1. potentiam ait non distingui à Divina voluntate. Valentia eam asserit non distingui ab intellectu & voluntate. Ferrara 2. contra Centes, cap. 1. & 10. illam docet ab

intellectu & voluntate distingui sicut includens ab incluso.

Existimo in primis, potentiam Dei ratione nostra distingui à Divina essentia. Ratio est: Divina enim essentia, ut supra, Disp. 4. sectione 8. vidimus in virtute ejus intellectiva sita est, in hoc autem conceptu formaliter non involvitur potentia, seu vis operativa ad extra.

Secundò etiam existimo potentiam Dei operativam ad extra distingui similiter, non à voluntate ejus tantum, sed à voluntate simul & intellectu: loquor autem de distinctione rationis, & eo modo quo misericordiam in Deo Theologi distinguunt à justitiâ. Ratio est eadem, quam num. præcedente assignavimus; intellectus enim & voluntas in res creatas, non physicè sed intentionaliter feruntur, nec eas ut effectus respiciunt, sed ut objecta; ergo hæc duæ facultates formaliter non sunt potentia: hæc enim ex conceptu suo formali ordinatur ad res efficiendas, seu producendas.

Quamvis ergo potentia in Deo realiter ab intellectu & voluntate non distinguatur, omnia siquidem Dei prædicata absoluta, realiter, & cum essentiâ, & inter se identificantur; distinguuntur tamen ratione, & diversum ab iis fundat conceptum.

III. Potentia à Divina distinguitur ratione ab essentia.

IV. Distinguitur ratione ab intellectu & voluntate.

V. Docet S. Thomas potentiam in Deo distinguere ab intellectu & voluntate.

ptum. Hoc clarissimis verbis non semel docet S. Thomas: Sic enim 1. part. quaest. 25. art. 1. ad 4. Potentia, inquit, non ponitur in Deo, ut aliquid differens a scientia & voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem, in quantum scilicet potentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit. Hac etiam eadem quaestione, art. 5. ad primum sic habet: Potentia intelligitur ut exequens, voluntas autem ut imperans, & intellectus & sapientia ut dirigens. Ac tandem eodem loco subiungit: Ideo Deus aliquid facit, quia vult: non tamen ideo potest quia vult, sed quia vult est in sua natura. Quibus verbis potuisset S. Doctor clarius hanc opinionem tradere, & potentiam in Deo ab intellectu & voluntate distinguere.

VI. Imperium practicum in Deo, & operis cuiusque executivum a S. Thomâ tribui voluntati, munus autem intellectus esse ait, ut dirigit voluntatem. Frustra ergo P. Granada 1. p. tract. 5. disp. 3. cum aliis post actum voluntatis, quo Deus aliquid exequi statuit, ponit imperium aliud practicum in intellectu: quam sententiam fusè impugnavi supra Disp. 37. lect. primâ.

VII. Dices: Voluntas Dei a Scripturâ & Patribus, passim dicitur causa rerum; ergo est potentia. Respondetur primò loqui Scripturam & Patres in sensu reali, hoc modo autem, ut diximus n. 5. voluntas est potentia, cum inter se identificentur. Secundò dico voluntatem Dei esse causam rerum, quatenus, ut diximus numero præcedente, illâ volente, omnia fiunt, & potentia ad eius imperium cuncta exequitur. Sicut Rex dicitur causa templi, quod illius iussu extruitur, & iudex similiter reo causa mortis, quamvis nec ille manum operi applicet, nec iudex in illius necem physicè influat.

VIII. Neque ad res creatas, ut singulare in iis relict artificium, necessarium est ut intellectus divinus concurrat physicè, sitque hoc pacto formaliter potentia; ad artificium enim sufficit intellectum ad eas concurrere directivè, ut latè ostendi in Logicâ, Disp. duodecimâ.

IX. Adde, licet arguat in voluntate perfectionem, posse realiter res omnes per se immediate producere, seu quòd realiter secum identificatam habeat potentiam executivam: non posse tamen ratione nostrâ immediate omnia efficere, nec esse potentiam formaliter, nullam arguit imperfectionem, magis quàm quòd misericordia non sit formaliter æternitas; cum non minus ratione nostrâ sint diversi conceptus potentia & intellectus, quàm æternitas & misericordia, sicque in unum prædicatum coalescere magis nequeunt, quàm ista.

SECTIO SECUNDA.

Vtrum Divina potentia sit infinita: Vbi etiam de illius termino.

I. Certum est Divinam potentiam esse infinitam.

Divinam potentiam esse in se, & entitativè infinitam, nulli dubium esse potest, tum quia cum essentia Divinâ, quæ essentialiter est infinita, identificatur, tum quia proprietates sequuntur naturam essentia; ergo esse debent infinite sicut illa: adeoque Divinam potentiam non minus esse oportet infinitam, quàm reliqua Dei attributa;

R. P. Compromi Theol. Scholast. Tom. 2.

Misericordiam, Iustitiam, Intellectum, Voluntatem, &c.

Deinde ostenditur Divinam potentiam esse infinitam ratione termini, quem respicit, omne scilicet possibile. Unde non plura tantum & plura individua, sed plures etiam & plures infinitum potest species producere: cum ergò nullos sibi hac in re præscriptos habeat fines, ut in essendo, ita & in operando erit infinita. Imò hæc infinitas & illimitatio in agendo, infinitatem & illimitationem arguit in essendo.

Extenditur ergo Divina potentia ad ea omnia, quibus competit conceptus rei possibilis, seu quæ in se non involunt duo contradictoria; hæc enim, ut rectè D. Thomas hic, quaest. 25. art. 3. Corpore, sub Dei omnipotentia, non continentur; ad illud enim, quod fieri nequit, dari nequit potentia. Circa peccatum verò duobus modis versatur Dei potentia: primò in quantum ad materiale illius, à creaturâ rationali determinatus physicè concurrat, ut contra Dolam, & Durandum ostendi, Disp. 29. physicæ. Secundò circa peccatum versatur Divina potentia per modum materiae circa quam, seu tanquam circa aliquid per eam destruibile, sicut medicina versatur circa morbos ab eâ expellendos.

Dices: Si potentia Dei sit infinita; ergo producere potest effectum infinitum. Respondetur cum S. Thomâ hic, quaest. 25. art. 3. ad secundum, negando hoc sequi: Deus enim operatur, non instar agentis univoci, sed æquivoci: agens autem æquivocum, specie, imò genere sæpe distinguitur ab effectu, & cum multis gradibus frequenter in perfectione superat: unde in illius productione non exhauritur tota virtus causæ, ut in univocis. Sic ignis producit calorem, Sol lucem, &c. Hæc dicta sint circa vim consequentiæ; nam quoad rem ipsam existimo Deum posse producere effectum infinitum, ut in physicis ostendit Disp. 46.

Ex dictis inferitur contra Abaylardum & Wiclefsum, qui Deum dicebant alia facere non posse, quàm quæ fecit, aut facturus est: inferitur inquam, Deum plura & plura individua posse facere in infinitum. Hoc contra illos definitum est in Concilio Senonensi, & Constantensi. Idem etiam præter alios Patres, probat S. Augustinus de Spir. & Liter. cap. 1. & libro 9. de Genes. ad Lit. cap. 29. & alibi.

Nec infinita tantum individua, sed plures etiam & plures in infinitum species producere potest Deus: ita contra Durandum in 1. dist. 44. art. 9. qui ait, fortè nec plures species esse possibiles, quàm sint factæ: item contra Aureolum in 1. d. 44. a. 9. Henricum quodl. 8. q. 8. & alios quosdam, docent omnes Theologi: quam sententiam minus tutam esse censet Molina hic, q. 25. art. 6. Vasquez verò 1. p. d. 106. cap. 2. eam graviore censurâ notandam non esse existimat.

Neque hinc sequitur, si possibiles sint plures & plures species in infinitum, sese invicem in perfectione excedentes, unam ex iis fore infinite perfectam. Hoc inquam non sequitur; nec enim in perfectione arithmetice crescunt, sicut infinitæ lineæ, quarum una aliam, palmi unius aut pedis longitudine superat, sed geometricè, sicut equus perfectior est infinitis speciebus rerum inanimatarum, ut igne, aquâ, lapidibus, &c. & homo in perfectione excedit infinita bruta, & tamen, nec homo nec equus est infinite perfectus.

II. Potentia Divinae rationis est etiam infinita.

III. Divina potentia ad omnia extenditur, quæ non ipsa placent contradictioni.

Quomodo Divina potentia versatur circa peccatum.

IV. Non sequitur ex infinitate potentia Dei, posse dari effectum infinitum.

V. Deum potest plura & plura facere in infinitum.

VI. Plures etiam & plures in infinitum species producere potest Deus.

VII. Ex infinitis speciebus possibilibus non sequitur unam ex iis esse infinite perfectam.

VIII.
Nolla in in-
finitis indi-
viduis seu
specibus pos-
sibilibus ap-
paret impli-
cantia.

IX.
Dei potentia
est verè &
proprie Om-
nipotentia.

Ratio denique est: quæ enim vel apprens
implicantiæ, cur alius mundus, hoc perfectior
sit possibilis, & illo dato, cur alius eo etiam per-
fectior dari nequeat, & illo alius: ubi enim cum
ullâ probabilitate hæc sistet argumentatio; maxi-
mè cum Deus sit infinite participabilis, & quæ-
cunque datur creatura, imperfecta tantum sit illius
similitudo & participatio.

Hinc tandem infero hanc Dei potentiam,
esse Omnipotentiam, utpote quæ ad illud omne
extenditur, quod in se non involvit duo contra-
dictoria, adeoque sicut producendorum, seu pos-
sibilitium nullus est numerus, ita nec ullus est ter-
minus in virtute eorum productrice. Deinde
passim Deus in Scripturâ vocatur Omnipotens:
Sic Genesis 17. vers. 1. dicitur, Ego Deus omnipotens.
Item Exodi 15. vers. 3. Dominus quasi vir pugnavit,
Omnipotens nomen eius. Idemque habetur in Sym-
bolo Apostolorum, Niceno, & Athanasii, estque
hæc veritas non semel ab Ecclesiâ definita.

Disputant hæc aliqui, darine possit creatura
perfectissima. Sed hanc quæstionem latè discussi
Disput. 46. phys. sect. 7. & 8. ubi eam ostendi
dari non posse. Disputant alii unde sumenda
sit radix possibilitatis creaturarum: quod perindo
est, ac utrum Deus dicat ordinem transcenden-
talem ad creaturas: quam etiam quæstionem fusè
tractavi in Physicis, Disp. sextâ.

Denique circa id quod hæc quæri solet, an sci-
licet efficere possit Deus, ut præterita non fuerint.
Respondetur cum S. Thoma hic, quæst. 25. art. 4.
non posse: ubi id ex S. Hieronymo, S. Augustino,
& Aristotele declarat. Ratio est quam ibidem
assignat S. Doctor; ex hypothesi enim quoddam res
sit, implicat contradictionem eam non esse; cum
ergo hypothesis præteritionis rei sit jam posita,
planè impossibile est efficere, ut non sit posita,
seu ut res non præterierit, ut per se videtur ma-
nifestum.

DISPUTATIO XLVIII.

De profundissimo Sacro-sanctæ Trinitatis Mysterio.

ALTIUS hæc erigendus est animus, divinûsque Sol, infirmis intellectu
nostri oculis, quantum mortalibus fas est, luce tamen, quam ipse ad sui
cognitionem in Scripturis, Conciliis, ac Patribus cælitus edoctus, nobis submi-
nistavit, intuendus. Ad tam immensum quippe splendorem, & radios, cæcuti-
mus omnes, nec tanti sublimitatem mysterii ac majestatem capere valeamus.
Vnde dum quidam propriis sensibus hoc penetrare, ac suis metiri captiun-
culis tentarunt, rursus lapsi, in sædissimos inciderunt errores, & inconsultæ
temeritatis gravissimas pœnas dederunt; suoque malo didicerunt, oppressum iri
à gloriâ eos, qui scrutatores sunt Majestatis: de quibus suis plura locis dicentur.

Id verò in hac materiâ cura imprimis esse debet, non modo ut sanè quis, &
ad orthodoxæ Fidei regulas conformiter sentiat, sed ut cautè etiam loquatur,
nec sensa tantum, sed dicta sua omnia ad Ecclesiæ normam, loquendi modum,
exploret; nullibi quippe magis quàm hic tenet verissimum illud Divi Hieronymi
dictum: Ex verbis inordinate prolatis incidunt hæresis. Ad quam rem ap-
positè S. Augustinus lib. 10. de Civit. cap. 23. Philothophis, inquit, liberum est,
quibus voluerint uti verbis, nobis autem ad certam regulam loqui fas est.
Nunc rem ipsam aggrediamur.

SECTIO PRIMA.

Voces nonnullæ, ad hujus intelligentiam
mysterii necessarie, explicantur:
præcipuè Trinitas & Persona.

I.
Quid Trini-
tatis nomen
significet.

TRINITAS explicanda occurrit vox
TRINITAS, ab Ecclesiâ, passim
usurpata, & huic mysterio appli-
cata: per eam verò tres Personas,
& unam simplicissimam Essentiâ,
seu naturam in Deo esse denotat, ab omnibus

tribus Personis æqualiter per identitatem possessam.
Impiè ergo Lutherus huic versiculum è Litaniis,
sacrisque à majoribus institutis precibus expunxit,
Sancta Trinitas unus Deus miserere nobis: non vocem
magis, quàm rem ipsam fortassis averlatus. Nec
refert hoc verbum Trinitas in divinis literis non re-
periri; id enim aliis vocibus, ut Incarnatio, Tran-
substantiatio &c. contigit, in quibus cum res signi-
ficata, in Scripturâ contineatur, Ecclesiæque à
sponso suo Christo per revelationem sit tradita, pe-
nes ipsam fuit, vocem quâ hoc conciperent, & de
eo loquerentur fideles, instituire, & rem mundo
novam novo verbo exprimere.

Quamvis